

1887

C O D I C E S

1888

ergo Serenissime Princeps quantumcumque meum erga catholicam Ecclesiam tam misere haereticorum prauitate discerptam ac deformatam zelum demonstrem — falcem in alienam messem mittere non erubescō; cum — perspektissimum habeam, necdum eadem diuulganda ab Auctore typis mandari. Exspaciens itaque latius in amoenissimum Concionum Praesulis Neapolitani campum — flosculos — auulsi et in hunc libellum congeffi. — Si Tua Serenitas — comprobabit, impensi huius studij me minime pœnitebit, expeditiorem me etiam in posterum ad describenda, quæ restant, quamplurima sentiet.

CCCCLXXX.

673 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 145. 4. nitide scriptus hoc Titulo est: *Ad Serenissimum et Illustrissimum Principem ac Dominum, Dominum Mathiam Archiducem Austriae — Christianae Fidei circa Eucharistiae Sacramentum Exercitatio. Per F. Valentinum Fricium Burgauensem ordinis Minorum regularis obseruantie eidem Sermo. Principi a sacris confessionibus, eiusdemque ordinis per Germaniam, Vngariam, Bobemiam et Poloniam Generalem Commissarium. E Praefatione, quae incipit: Si Tibi videbor Serenissime Archidux Mathia, in eo quod pridem pro tua pietate mihi demandaras, tuam diutius, quam par fuerit, expectationem tenuisse, quiduis mihi po-*

*tius obijci patiar, quam hoc vlla mea tibi gratificandi negligentia contigisse &c. liquet, Autorem profectioe Neapolitana, aduersa quatuor mensium valetudine, cura extruendi Franciscanae Familiae Viennensis Monasterii, et commissorum sibi, vt minimum, trium millium hominum Seraphici ordinis haecenus impeditum fuisse, quo minus Mathiae obsequeretur. Opus deinde suum ita adumbrat: Posito diuinae Scripturae testimonio, de conditis a Deo primis humani generis parentibus, de constituta ipsis fidei erga Deum lege, quam perfidia violarint, et violando naturae suae integritate exciderint, diuinam in se iram prouocarint, vitiosa et corrupta natura suam posteritatem infecerint; eo rem deduco, vt ostendam quouis tempore Deum ab hominibus fidem erga se ad salutem exegisse, et Sacramentorum siue in veteri siue in noua lege a se institutorum salutarem usum in fide ipsis collocasse: Inde ad Eucharistiae sacramentum considerationem transfero, eique via quadam fidei sic insisto, vt ex ijs, quae auctoritate diuina tenenda sunt, ea in medium producam, quae de illo sacramento semper docuit et credit Catholica Ecclesia: nec alij sere, quam accersitis e Scriptura testimonijs in ista consideratione vtar. E Patribus non nisi ad Ambrosium et Augustinum parce se provocaturum, nec nominaturum Ecclesiae calumniatores. Mox ad Hominum de labore suo iudicia, ad Stirpis Ostriacae (ita enim scribit)*

1889

## P O L E M I C I

1890

scribit) splendorem, ad *Matthiae* sui, cujus amabilem efformat speciem, laudes delabitur Vir doctus et disertus, subscribitque: *Vienne Kalendis Januarijs, Anno a Natiuitate Domini M.D.XCII.* qua die ipsum Exemplar nostrum Strenam Archiduci obtulisse videtur. *Exercitatio*, quam lucem nunquam adspexisse miror, ab hoc initio: *Non temere illud quidam: Omnes homines suo quodam agi natura appetitu &c.* usque ad hunc finem: *tibi angulari templi Dei lapidi firmiter adhaeream, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus es Deus. Amen.* absque ulla divisione decurrit. Edidit Noster collectum e latinis fontibus Catalogum Eorum, qui sui Ordinis sanguinem pro Ecclesia Romana in Europa fudere, sermone patrio *Ingolstadii 1584. 4.* ex iisdem item fontibus Res Religionis Christianae in utraque India pariter sermone germanico *ibid. 1588. 8.* frustra tamen in Eruitorum *Lexicis* eum quaeras. Obiit *Vallisoletto* e Comitibus Ordinis redux *Papiae 1593.* una cum itineris Socio *Dominico Hefcio* facillimae venae Poeta, cujus multa Carmina *Viennae* et *Graecii* olim impressa adhuc in manibus Curiosorum sunt. De utroque adi, si lubet, *Placidi Herzog Cosmographiam Austriaco Franciscanam, Colon. 1740. f.*

CCCCXXXI.

275 Codex chartaceus lat. sub finem Seculi exacti scriptus Folior.

69. f. continet *Epistolas* IV. in Religionis negotio ad *Ferdinandum* Archiducem *Austriae*, postea Imperatorem hujus nominis II. datas a *Georgio Stobaeo de Palmaburgo Borusso*, ejus Principis intimo consiliorum administro et *Lavantino* in *Carinthia* Episcopo, qui 23. Octobris diem anni 1618. supremam habuit. De hujus viri in repurganda per interiorem *Austriam* Ecclesia studiis adi *Marci Hanszii Germ. Sacrae T. II. Epistolarum* ejus *Συλλογην Venetijs 1749. 4.* dedit *Hier. Lombardus S. J.* in qua tamen non nisi unam ex IV. praesentibus legas. Sunt vero sequentes: *De auspicianda reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola.* Initium: *Non possum, Serenissime Archidux, quin illud Sapientis inclamem &c.* Subscripta est: *Lavanti 13 Calend. Septemb. Anno 1598.* et habetur *Hanszii cit. p. 713.* Altera inscribitur: *De proseguenda reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola,* et incipit: *Rara est tua in Deum Deique religionem pietas &c.* caret haec in *Cod. nostro* et in *Lombardi Collectione* p. 85. die et consule, sed apud *Hansz.* p. 742. data est 31. Julii. An. 1605. Tertiae titulus est: *De perfecta reformatione Religionis in Styria, Carinthia et Carniola,* et initium: *Quod non ita pridem Judenburgo tuis ad me litteris insinuaras &c.* Ad calcem: *Palmaburgo Calend. Maij. M.DC.IIIII.* Ita et apud *Hansz.* p. 708. sed vereor, ne aut